



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672


Joannes Lanspergius Carthusianus In Prologo ad Revelationes S. Gertrudis
editas operâ Tilmanni Bredenbachij SS. Theologiæ Doctoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580

JOANNES LANSPERGIUS CARTHUSIANUS

In Prologo ad Revelationes S. Gertrudis editas operâ Tilmanni
Bredenbachij SS. Theologiæ Doctoris.

IN lucem producimus librum divinarum revelationum, quod certè genus eruditionis non debueramus ignorasse hæud admodum gratum, ijs præsertim, qui mundano humano spiritali tument, quique literâ magis docti sunt, quàm spiritu. Adeò enim illis quævis ejusmodi sunt frigida, atque insana videntur, ut non solum ad ea nausèa quadam moveantur, verùm etiam hujuscemodi libris, ubi possunt, detrahunt: & quæcunquè non intelligunt, carpunt: parùm interea considerantes, quòd totum ferè vetus Testamentum revelationes esse fateri cogantur: DEUS non solum varios scriptores Ecclesiasticos verùm etiam multiformem docendi modum, alia item & alia eruditionis genera, phrasim quoque ac dictionem multiplicem in Ecclesia constituit: idque in utroque sexu, quòd nemini deesset vel (ut ità dicam) juxta suum genium, unde erudiri, unde illuminari, unde trahi, unde ædificari posset. Quid igitur jam mirum, si hominibus mollioris cordis, ut qui beneficijs, blanditijs, aut amore trahuntur, magis quàm præceptorum austeritate, id quod in sexu fæmineo DEO devoto præcipuum est, DEUS loquatur per revelationes. Non inficior quidem pias aliquot virgines aut mulieres DEO devotas, ubi sibiipsis relictae fuerant, nequaquam suspitione caruisse. Verumtamen, quæcunquè fuerunt, suntque hujusmodi, facilè deprehenduntur, neque enim diu latere potest fictio præsertim fæminea, siquidem ubicunquè profundissima humilitatis non fuerit fundamentum, citò quiddid super illo fuerit ædificatum, non absque ignominia ruit. Non est autem personarum acceptor DEUS, nec sexum à sexu (quem utrumque fecit) discernit, nisi quòd infirmiori plerumque ubi humilitas & devotio id meretur, potiora dat dona, ut confundat fortia, sapientèsq; in suo sensu confutet, quòd dona sua sibi (hoc est DEO) ascribenda cognoscantur soli: quandoquidem illiterati & simplices minus habent, quàm ut ea, quæ scripturæ sacræ ad unquem sint consentanea, licèt difficilia plerumque scribant & ardua effingre possint. Per quoscunquè igitur, vult, loquitur DEUS. Hæc aspernari propterea, quòd per mulierem DEO revelante insinuantur, nonne tumidi foret cordis insolentissimæque superbiae? Præsertim cum per seipsum in scripturis sanctis eadem (quod dixi) DEUS quoque ipse nobis revelaverit: licèt pro temporum hominùmque conditione, hic aliquanto lucidius uberiusque eorundem explanatio fiat. Sed quia in sexu fæmineo amantiora, fideliora, puriora, suavioraque corda viris fortasse etiam Apostolicis aliquando anteferenda invenit: ideo benigniorem, quod reor, se illis interdum exhibuit. Unde fit ut viris alioqui doctissimis, qui ambulat in mirabilibus super se, occupantes magis animum suum curiosis quæstionibus (pene dixeram superstitionis) quàm necessarijs aut secretis, quæ scire non oportet investigandis, aut mundanis literis ediscendis, non tantà se familiaritatis gratiâ manifestet DEUS. quanta ad eorundem confutationem potiùs fæminis illiteratisque viris DEO devotis illabatur. Quamvis eadem hujusmodi devotæ personæ (quod congruum est) nihilominus interea pro humilitate virorum doctorum directioni semetipsas subjiciant. Ex quarum interrogationibus, ex quarum humilitate illuminata, non parùm (scio) proficiunt sæpenumero Patres aut Confessores earum bonæ voluntatis, in hoc planè multà laude digniores timidis quibusdam sciolis aut literatis, qui si interrogentur præsumentes de se, aut laudanda damnant, aut commendanda vituperanda, hoc solo elari quòd sexus infirmioris devotionem rident, nihili pendunt, & quandoque earum spiritum impediunt.



INTER-